





1. K  
2. K  
3. K  
4. K  
5. K  
6. K  
7. K  
8. K  
9. K  
10. K  
11. K  
12. K  
13. K  
14. K  
15. K  
16. K  
17. K  
18. K  
19. K





1. Kärsbaum: De hernia ventrali 1749.
2. Klauhold: De risu duplicato 1746.
3. Klein: De mense vana. <sup>viscedine abim. spiritum quantitatem</sup> 1787
4. Klose: De plethoracta 1724.
5. Klug: De nervorum usu ac differentia 1740
6. Knell: <sup>de asthmate</sup> De asthmate 1784.
7. Knolle: De luxationibus 1728.
8. Kobelt: Therapias siphilidis 1788.
9. Kobelt: De scrophulis 1789
10. Koch: De partibus parorum in infimo ventre 1782
11. Koch: De convulsionibus juv. deuss. distorg 1770
12. Koenig: De cura aegroti colica saturnina laborantis 1764.
13. Koll De dysenteria 1703
14. Krahmes circa febrem malignam topiram biliosam vel cholericam 1765.
15. Kuebler De abortu. 1711
16. Kuebler De haemorrhoidibus 1742
17. Kuettel Rationalis symptomatum quae febris comit. theoria 1742
18. Kugelmann Circa chloroseos. 1768
19. Kugler De uxore sterili. 1787.







A S T H M A <sup>6</sup>  
THEORETICE ET PRACTICE  
PERLUSTRATUM

PRO

DISSERTATIONE INAUGURALI  
SUPREMO ANNUENTE NUMINE  
CONSENTIENTE  
GRATIOSO MEDICORUM ORDINE  
*PRO LICENTIA*

SUMMOS IN ARTE SALUTARI HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CONSEQUENDI

AD DIEM XXXI. MARTII A. R. S. MDCCLXXXIV.

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

FRANCISCUS KNELL

LANDAVIENSIS,

AA. LL. ET PHILOSOPHIE MAGISTER.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI,

Typis Joh. Henrici Heitzii, Universitatis Typographi.





URBIS LANDAVIENSIS  
SAPIENTISSIMO SENATUI  
PRÆTORI PERILLUSTRI

VIRIS  
MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, GENEROSIS,  
PRÆNOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS  
DOMINIS DOMINIS  
CONSULIBUS

PATRIÆ PATRIBUS  
IMMORTALI MEMORIA DIGNISSIMIS  
PATRONIS ET MÆCENATIBUS MEIS  
AD CINERES USQUE COLENDIS  
HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS  
EA QUÆ PAR EST ANIMI SUBMISSIONE

DICAT CONSECRAT,

HUMILLIMUS CLIENS  
FRANCISCUS KNELL, AUTOR.





§. I.

**P**ulmones organon illud a natura tum respiratōni; tum sanguificationi dicatum quam plurimis morbis obnoxios esse, non mirabitur, qui perpendit eos non modo ex innumeris varii generis canalibus conflatos, sed & ipsis aëris, quem inspirant, vicissitudinibus quam maxime esse expositos. Missis reliquis, quibus nobilissimum hocce viscus corripitur solet, morbosis affectionibus, quum omnes pertractando Dissertationis limites longe transgrederer, de Asthmate modo morbo quippe inter nostrates admodum frequenti, Speciminis Academici loco pauca differere animus est.

§. II.

Prinsquam autem statum huncce morbosum exponam, non incongruum fore duco, ea quæ ex Anatomicis simul & Physiologicis de situ, structura & functione hujus organi nota sunt, breviter præmittere, quo dein dicta ejusdem læsio eo facilius intelligatur, quum curvi norma rectum sit.



## §. III.

Tuto satis reconditi hærent pulmones intra thoracis cavitatem, quæ partim ab ossibus, partim a musculis efformata conspicitur. Crates illa ossea, prouti id in sceleto vides, ex dorsi vertebris, costis atque sterno ita conflata est, ut suis musculis, qui eidem nectuntur, mox dilatari, mox coarctari valeat. Cavitas inde efformata truncatum conum refert superius ibidemque claviculis, inferius autem diaphragmate circumscribitur, & secundum hujus musculi directionem & annexum antèrius ad xiphoiden cartilagine[m], posterius autem, quum is suis cruribus profundius descendat, in sinistro quidem latere ad ultimam dorsi, in dextro autem ad primam secundamve lumborum vertebram terminatur.

## §. IV.

Investita est hæcce cavitas intus membrana satis forti, multis vasibus atque nervis instructa, intime cellulosa ope eidem accreta, quam pleuram vocant, quæque duos saccos efformat, qui vesicas referunt a), quique in medio sub sterno sibi contigui mediastinum efformant, in antica parte superius pro situ thymi, inferius pro situ cordis, in postica autem toti à se invicem discedunt, adeoque spatium triangulare relinquunt, in quo arteria aspera, œsophagus, vasa majora, ductus thoracicus atque vena azygos incedunt, quique canales omnes dictæ pleuræ celluloso textu obvoluti apparent. In dictis saccis libere suspenduntur pulmones, tunica membranacea, quæ vera pleuræ continuatio est, obducti; eorum dexter ob directionem mediastini obliquam sinistro major est.

a) WINSLOW *Expos. Anat. Traité de la Poitrine* §. 26.



## S. V.

Tubum illum aëreum, per quem aër externus nos ambiens ad hocce organon traducitur, asperam arteriam, etiam tracheam vocaverunt antiquiores, quique ex annulis partim cartilagineis posterius deliquium patientibus, partim ex membranis conflatus conspicitur, extus cellulosa pleuræ, intus sensilissima tunica obductus, infermedia fibris tum longitudinalibus, tum transversis instructa est, quarum actione hicce canalus mox abbreviari; mox coarctari valet. A larynge incipiens retro mediastinum in spatio illo triangulari descendit seseque ad tertiam circiter thoracis vertebram in duos ramos bifurcat *b*), qui bronchia vocantur, quorum dexter brevior simul & major, sinister longior ad suos pulmones tendunt, seseque ibidem in innumeros ramos & ramulos dispergunt. Eadem, ac de trunco dictum est, structura gaudent, donec tandem gracillimi redditi sensim sensimque suas cartilagineas deponunt, toti membranacei fiunt, seseque in vesiculas sic dictas pulmonales terminant, quarum plures cellulosa junctæ & liberrime inter se communicantes in fasciculum congestæ minimam lobulum constituunt, ex quibus iterum inter se junctis sensim majores surgunt, ita ut tandem dexter pulmo tribus, sinister autem duobus lobis majoribus distinctus appareat. Omnes hæ dictæ viæ aëreæ intus subtiliori muco ex folliculis exsudante obliniuntur, quo copiosi nervi hicce distributi a laryngeis recurrentibus & intercostali proficiscentes contra aëris injurias defendantur.

## S. VI.

Pulmonum vasa partim arteriæ & venæ bronchiales sunt, quæ hujus visceris nutritioni inserviunt, partim

*b*) Cf. HALLER *Prim. Lin. Physiol.* §. 241.



autem arteria & venæ pulmonales. Surgit arteria pulmonalis ex thalamo cordis anteriore, utroque suo ramo pulmones petit, & in eorundem substantia innumeris ramificationibus se dispergit, quæ tandem sanguinem suum venulis amandant, ut per quatuor truncos venosos redeat ad atrium cordis sinistrum. Dicti minimi tam arteriosi, quam venosi ramuli vesiculas aëreas superscandunt, ibidemque miranda retia efformant *c)*, quorum plures eisdem perforant, atque vaporem ibidem deponunt.

#### §. VII.

Vasa pulmonum lymphatica inter tunicam eorundem membranaceam & textum cellulofum decurrunt, suamque lympham ductui thoracico tradunt. Nervi hic multi sunt, in filamenta distributi omnes bronchiorum & vasorum ramificationes comitantur, vesiculas superscandunt atque in omnibus membranaceis partibus distribuuntur. Originem ducunt a sympathico magno & vago nervo, quique retro quemvis pulmonem plexus efformant, a quibus dicta filamenta nervosa ad viscus hocce tendunt *d)*.

#### §. VIII.

Pulmones respirationi atque sanguificationi destinatos esse, superius dictum fuit. Respiratio quippe in adultis actio omnino vitalis est, sanguis a dextro corde ad sinistrum traducendus est per pulmones, quum viâ illâ peculiare, quas provida natura in foetu ab aëre externo secluso, adeoque non respirante, fabricavit, nunc præclusæ sint. Quo hoc rite fiat, actio pulmonum requiritur; in motum ducuntur & expanduntur ab aëre; quo is autem intrare possit, ut thorax ampliatur, adeoque

*c)* WINSLOW l. c. §. 113.

*d)* Idem l. c. §. 124.



illud æquilibrium, quod inter aërem internum & externum est, tollatur, necesse est, hoc enim sublato, aër eo intrabit, ubi minor est resistentia. Faciunt huc soli intercostales muscoli tam externi, quam interni, costarum marginibus affixi. Hi quippe a causa mihi saltem incognita in actionem si cientur, mobiles costas sursum versus primam fixam simul & antrorsum ducunt, eodem temporis momento & diaphragma descendit, sic in omni sensu ampliatur thoracis cavitas, sic vacuum nascitur in pulmonibus, sicque aër in eorundem vesiculas irruit; expanduntur illæ, hinc & vascula easdem superascendentia corrugata, in minutissimos angulos contracta, nunc explicantur, elongantur, sicque liber sanguini tractus conceditur. Quodsi autem inspiratio diutius justo perdurat, hæc vascula nimium prolongantur, hinc angustantur, ut novum iterum sanguini trajiciendo oriatur impedimentum, hinc anxietates illæ circa præcordia, adeoque inspiratio necessaria est; fit hæc elatere cartilagineum costarum & musculorum abdominalium actione; illæ quippe dum in pristinum situm costas reducunt, hi autem in motum ducti extensione quippe sub inspiratione irritati, diaphragma sursum trudent, sic coarctatur iterum thoracis cavitas, comprimuntur inde vesiculæ, & aër expiratur. Placida est hæc respiratio in homine sano & fere non animadvertitur in dormiente. Varia itaque hæc pressione & exagitatione attenuatur sanguis, chylus & lymphæ eidem intime miscentur, & sic sensim sensimque iterata per hoc organon circulatione peragitur justa sanguificatio.

§. IX.

Hisce nunc prælibatis transeamus ad statum nostrum morbosum, quem dilucidare proposuimus. Quæcunque difficilis respiratio Medicis Asthma vocari solet, quod





pro vario gradu, causarum itaque & symptomatum plus minus vehementi exacerbatione in dyspnœam, orthopnœam & apnœam sive catarrhum suffocativum distinguitur. Dyspnœa quidem difficilis est respiratio absque stertore & sibilo. Quodsi illa autem difficilior, crebrior & anhelosa est cum magno stertore & valida pectoris agitatione, ita ut dicti musculi ad thoracem movendum destinati non sufficiant, adeoque & plures aliæ potentiaæ in motum ducantur necesse est, ægrotansque non nisi erecta cervice spirare possit, orthopnœa dicitur. Apnœa respirationem penitus fere interceptam cum maximo suffocationis periculo, pectoris oppressionem, stertore, pulsu debili & raro designat. Nulla plerumque febre stipatus est hicce morbus; & quum ea, quæ mox in asthmatis definitione dicta sunt, læsæ respirationis symptomata sint, quum in sensus incurrant, ipse morbus, sive id, quod in corpore nunc mutatum est, est aëris & sanguinis in pulmones impeditus justus influxus aut effluxus, aut privata reciprocæ constrictionis & expansionis pulmonum libertas.

§. X.

Pro varia nunc causarum hujus morbi fede, is mox idiopathicus, mox sympathicus est; quum aliæ vel in ipsis pulmonibus, vel saltem extra eosdem in thoracis tamen cavitate vel in partibus eandem constituentibus, aliæ autem extra illam sitæ in pulmones tamen ita agant, ut asthma sympathicum surgat. Potiores idiopathici asthmatis causæ sunt sanguinis ob plethoram in toto corpore obtinentem vel consuetas hæmorrhagias interceptas in pulmonibus nimia congestio; vasorum pulmonalium aut viarum aërearum obstructions, compressiones, coactilitus, spasmi, inflammationes; suppurationes porro, vomicæ, tubercula; varii tumores in pectoris cavo; ipse  
aër



aër frigore, humiditate, gravitate, levitate, stagnatione, inquinamentis peccans, adeoque pulmones vario modo male afficiens; variæ particulæ pulverulentæ, metallicæ, aëris ope ad pulmones delatæ; pituitosæ, serosæ materiae nimia accumulatio; pectoris hydrops; empyema; emphysema; cordis polypus, arteriarum aneurysma; mala thoracis conformatio; vertebrarum, costarum luxatio, fractura, anchylosis; musculorum respirationi inservientium paralysis, spasmus, inflammatio, vulnera, contusiones; materies quoque arthritica, podagrica, variolacea, scorbutica, scabiosa &c. metastatice huc delata ut causæ hujus mali accusandæ veniunt. Sympathicum asthma surgit ab obstaculis ex abdomine nascentibus, quæ diaphragmatis motum supprimunt illudve sursum nimium urgent; cibi, potus, flatus, variæ saburræ nimia in copia intra ventriculum aut intestinorum canalem hospitantes; viscerum abdominalium tumores, inflammationes, scirrho, steatomata, hydatides; vesicæ felleæ calculi; graviditas; obesitas, varii hydropes, tympanites; in malo quoque hysterico & hypochondriaco pulmones haud raro in pessimum consortium trahuntur. Omnes nunc dictæ causæ ita agunt, ut pulmones in reciproco suo motu adeoque & sanguinis per eosdem circulatio quam maxime perturbentur & impediuntur.

## §. XI.

Asthma sanguineum vocant, si nimia sanguinis copia obruuntur pulmones; pituitosum vero, si id a pituita lenta, viscida, tenaci ortum suum ducit. Asthma siccum mere convulsivum est, licet tales asthmatici in fine paroxysmi parum mucii emittant, qui autem non ipsa causa peccans est, sed potius ex majori respirationis conatu circa laryngem & fauces colligitur. Asthma humidum expectoratione mucii visci, materiae puru-

B



lentæ, aut & feri acrioris pulmones copiosius inundantis dignoscitur. Pro vario causæ morbificæ genio asthma vel convulsivum, vel scirrhosum, vel purulentum est. Ratione durationis in acutum, continuum, periodicum distinguitur. Si a parentibus ad liberos traductum, hæreditarium appellari solet.

§. XII.

Symptomata huncce morbum concomitantia, quæque a læsa respiratione derivanda, sunt, ob denegatum sanguinis per pulmones transitum adeoque nimiam ejusdem in corde anteriore congestionem, præcordiorum anxietates, cordis palpitationes, pulsus velocior, sæpe inæqualis & intermittens. Malo incrementente respiratio fit admodum laboriosa, velox, suffocationem minitans; omnes muscoli, qui costis affiguntur, quique in statu naturali aliis actionibus destinati sunt, nunc in motum ducuntur, ut spiritum difficulter trahere queant ægrotantes. Decumbere nequeunt, sed stare, federe aut ambulare coguntur; caloris impatientes apertis fenestris liberiores aërem quærunt. Color faciei ob impeditum sanguinis ad atrium cordis anterius trajectum ruberrimus est; oculi fulgent & prominent; tussis frequens, mox sicca, mox parum modo humida; mucus aut tenuius ferum cum exiguo modo levamine, stertore & sibilo rejicitur. In summo mali gradu pinnæ narium exagitantur, os apertum hiat, corpus tremit, pulsus tardus fit & admodum debilis, mens alienatur sudorque frigidus per totam corporis superficiem diffusus imminentem mortem designat.

§. XIII.

Causam asthmatis in pulmonibus hæere, suspicari licet, si nullo alio malo vexatur corpus. An vero



materies in pulmonibus hærens pituita sit, sanguis, pus, aut serum extravasatum ex materie per tussim excreta, ex temperamento, corporis habitu, aëris qualitatibus aliisque signis colligere solent Medici. Empyema morbi prægressi, thoracis vulnera, contusiones, pulmonum atque pleuræ inflammationes designant. Scabiem retro-pulsam, scorbutum, cachexiam materies tenuis per tussim rejecta, faciei pallor, corpus macilentum, pedum tumor, sanguis emissus serosus, dilutus, resolutus indicant. Malum hystericum, hypochondriacum sensu gravativo in infimo ventre, alvo constipata & spasms sese prodit. Plethora vitæ genere lautiori, capitis tumore rubicundo, membrorum lassitudine, mensium, hæmorrhoidum, lochiorum suppressione dignoscitur. Cordis polypum & aneurysma pulsu tremulo, inordinato, frequente & animi deliquis suspicamur. Ventriculum in causa esse ejusdem gravitas & inflatio, nausea, vomitus & appetitus prostratus demonstrant. Asthma statu pleurumque non febrili a phthisi, angina, peripneumonia, pleuritide, paraphrenitide dignoscitur, quum hi morbi febre semper stipati sint e).

S. XIV.

Pulmonum hicce affectus gravissimus omnino est, quum functio perturbetur ad vitam summe necessaria. Quodsi nullum ceterum in corpore vitium adest, si pulmones adhuc integri sunt, si a leviori modo causa surrexerit asthma, si recens est, brevi tempore tussi & sreatu legitime procedentibus solvi solet. Asthma hæreditarium vix unquam teste BAGLIVIO f) in senibus curatur; in junioribus quandoque spes adest; quodsi au-

e) LUDWIG *Instit. Clinic.* §. 764.

f) *Oper. omn. Genevæ.* p. 104.



em illo graviter detineantur & ex eo ob ossium molliem gibbi fiunt, ante pubertatem moriunter *g*). Asthma siccum, si longius perdurat, aut frequenter recurrit, in peripnevmoniam & phthisin *h*), nonnunquam in pectoris hydropem degenerare solet *i*). Asthma spasmodicum ob malum nervis inhærens difficillime curatur, & junioribus hæmoptysin, phthisin, pectoris hydropem, cachexiam, ætate provectioribus soporosos affectus, apoplexiam, paralyses, catarrhum suffocativum, anginam, icterum, variasque inflammationes inducit *k*). Asthma itaque more reliquorum morborum vel in salutem, vel in pejorem morbum, vel in mortem terminatur.

§. XV.

Quid nunc in morbo nostro tentandum sit, reliquum est, ut paucis moneam. Quævis causa suis remediis debellanda est. In genere humorum per pulmones circulus est promovendus, eorundem qualitates quæcunque vitiosæ corrigendæ, vasorum obstructions aperiendæ sunt, tuncque tonus eorum naturalis restitendus. In statu itaque plethorico, ubi pulmones nimio sanguine sunt obruti, venæsectio hancce stagnantis quasi sanguinis abundantiam egregie tollit, eundemque a nobiliori hocce organo derivat. An venæsectio repetenda, major minorve plethora, paroxyfmi gradus, sanguinis orgasmus, ejusdem ad caput plus minus vehementis congestio, ut & naturalium consuetarumque evacuationum ratio docet; sanguinis præterea æstus temperantibus & diluentibus moderandus.

*g*) HIPPOCRATES *Aphoris.* S. VI. Aphor. 46.

*h*) HALLER *Comment. in BOERHAAVE* p. 221.

*i*) LUDWIG L. c. p. 764.

*k*) CE. MORGAGNI *de Caus. & Sed. morbor.* Cap. de *Affectibus soporosis.*  
WEPFER *Obs. de Apoplexia.*





Si asthma a mensium vel hæmorrhoidum suppressione ortum fuerit, ad hujus causam omnino respiciendum. Venæsectiones instituendæ, si a plethora; si ab obstructione largior pilularum BECHERI cum gummi ammoniaco dosis; si a vasorum laxitate, martialia; si a nimia rigiditate laxantia in auxilium sunt vocanda. Primario enim morbo sublato tollitur & qui ex hoc ortus fuit secundarius.

§. XVI.

In asthma humido, ubi tenax, viscida materies pulmones obsidet, illa attenuanda & resolvenda, dein autem evacuanda est. Id primo levioribus herbarum solventium infusis tentandum, quodsi autem hæc nihil proficiant, secundum VOGELIUM *l*) fortiora in usum trahenda; quorum præcipua sunt gummi Galbanum, Ammoniacum, oxymel scilliticum, pilulæ balsamicæ Mortoni, nec non docente LUDWIGIO *m*) plantarum amararum extracta cum terra foliata tartari. Emetica quoque refracta in dosi ita exhibita, ut vomitum ciere nequeant, qualia sulphur auratum antimonii, kermes mineralis, tartarus stibiatus, aqua benedicta RULANDI & ipecacoanna sunt, si præprimis vesicatorium extus simul applicatur, valentissima sunt solventia, & huic fini egregie respondent. Si suffocatio est metuenda, tunc secundum SELLE *n*) vomitoria præcipue ex nicotiana parata exhibenda sunt, dum potenter resolvunt & evacuant. RIVINUS succum radice ireos nostratis & bryoniae hunc in scopum commendat. Resoluti nunc humores a pectore avocandi sunt evacuantibus remediis, expecto-

*l*) *Prælect. Acad.* P. II. p. 183.

*m*) *L. c.* §. 765.

*n*) *Med. Clin.* Berolini 1781. p. 390.



rantibus quidem mucilaginosi, oleosis, aut laxantibus ex salibus mediis, manna, rhabarbaro. SYDENHAMUS *o*) singulis tribus diebus purgantia suadet. Nec aliena sunt clysmata ex lacte & aqua, vel ex decocto herbarum emollientium cum oleo quodam recens expresso.

## §. XVII.

Si asthma ortum ducit a particulis pulverulentis, metallicis, a variis iterum aliis pulmonibus infestis vaporibus, quibus hocce viscus exsicari nimium solet, annuente VOGELIO *p*) lac calidum jejune potatum, cibi pingues & vegetabilia oleosa imperanda. Oleum ricini SELLE *q*), præprimis si vapores illi irritando asthma spasmodicum induxerint, opiatum junctum, qualia liquor anodynus HOFFMANNI & laudanum liquidum SYDENHAMII sunt, optimo cum successu exhibuit; interim in hisce exhibendis summa semper cautela opus est. Si a materie metastatice ad pulmones delata surrexerit, ita ut spasmi inde corripiantur, antispasmodicis & medicamenta derivantia jungenda sunt, quibus materies illa morbifica ad alia ignobiliora loca attrahatur; pertinent huc sudorifera & irritantia extus applicata. CELSUS & RIVERIUS fetacea, vesicatoria, rubefaciencia, balnea, frictions, fotes & urticationes commendant, quibus optime materię retropulsę exitus conciliatur.

## §. XVIII.

Asthma ceterum spasmodicum repente haud raro invadens & suffocationem minitans quandoque venęsectio-

*o*) *Opusc. univers.* Lipsiæ 1695. p. 786.

*q*) *l. c.* p. 391.



nem in ipso paroxysmo postulat, si nimirum ab hæmorrhoidibus aut mensibus suppressis originem duxerit, aut corpora valde plethorica invaserit. Quodsi autem malum penitius infederit, cachecticos, imbecillos corripuerit, neque viscera amplius integra sint, aut seri, aut lymphæ, quod sæpius fit, extravasatio adfit, ne æger viribus exhaustis pereat, illa omnino cane & angue pejus vitanda. Idem & de vomitoriis & purgantibus valet, quibus nervi jam affecti adhuc magis affligerentur. Purgantia autem interdum convenire non nego, si cachecticus corporis status adest; interim tamen illa semper cum maxima circumspeditione, & non nisi lenissima exhibenda sunt.

§. XIX.

Si morbus noster a pectoris hydrope natales duxerit, ut plurimum omnibus medicamentis resistit. Interim tentari possunt resolventia, diuretica, fortiora purgantia, roborantia; asthma ab obstructionibus ortum referantibus debellandum.

Si ventriculo viscida, glutinosa pituita aut alia quacunque saburra repleto ortum suum debet, vomitoriis, incidentibus, laxantibus salinis tandemque roborantibus tollendum. Aliena hic sunt omnia bechica, quum ventriculi vires infringant. Idem & de asthmate a pulmionum debilitate oriundo intelligendum. Hicce enim roborantia præmissis præmittendis omnem paginam absolvunt.

§. XX.

Maximum denique curationis momentum in quolibet asthmatico adfectu in exacta diæta positum est. Aër, quoad id potis est, seligatur purus, serenus, temperatus;



cibus facilioris digestionis diluens, incidens & attenuans, potus pariter diluens, temperans, abstergens. Corporis exercitium moderatum sit viribus corporis conveniens, vigiliæ non nimis protractæ r). Abstineat ægrotans ab animi pathematibus nimium excitantibus; sustententur consuetæ evacuationes. Verno & autumnali tempore sanguis, si opus est, venæsectione, serum autem purgantibus subducendum, & si laxitas aut pulmonum debilitas adsit, blanda roborantia adhibenda; aquarum mineralium marte imprægnatarum usus jam a longo retro tempore jure celebratur. Id autem probe cavendum, ne in malo jam confirmato, ubi pulmones læsi sunt, nimia in copia ingurgitentur, ita ut dein per consuetas vias eliminari nequeant, tali enim modo morbus quidem, ast cum ipsa vita tolleretur.

---

r) Vigiliæ diutius protractas summe nocivas jam HIPPOCRATES annotavit Aphor. S. II. Aphor. 3.





ULB Halle

005 361 710

3



Vb 78









ASTHMA<sup>6</sup>  
THEORETICE ET PRACTICE  
PERLUSTRATUM  
PRO



AUGURALI  
TE NUMINE  
TE  
UM ORDINE  
NTIA  
ARI HONORES  
TORALIA  
DI  
MDCCLXXXIV.  
I SUBMITTIT  
KNELL  
AGISTER.  
I,  
erfatis Typographi,

